





22

1795/

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITENBERGENSI  
H. T.  
DECANVS  
**D. CHRISTIANVS GOTTLIEB**  
**H O M M E L**  
DIGEST. INFORT. ET NOV. PROF. PVBL. ORDINAR.  
CVRIAEC PROVINC. ELECT. SCABINAT. ET FACVLT.  
IVRID. VITENB. ASSESSOR

**LECTORI BENEVOLO**  
SALVTEM PLVRIMAM DICIT.

---

Exponuntur

*Quaedam de iuribus ecclesiae debitricis singularibus in mutuo.*

---

D. CHRISTIANUS GOTTLIEB  
HOMMEL  
DECVNVS  
ACADEMIA VITERBIENSIS  
ORDINIS IARIDICI

CHARLES BOURGEOIS HERCULANUS SCULPTOR ET FONCIER  
JACQUES ALBINIUS ALESSANDRI

ЛІБІДЬ ВІДНОВЛЯЮТЬ



Ecclesiam christianam in et sub re publica esse, non vero  
rem publicam in ecclesia, omnes ii, qui sana tradunt  
iuris ecclesiastici praecepta, profitentur. Constituit enim iste  
coetus sacer, in certum congregatus locum, cultus diuini  
exercendi gratia, collegium, aut vniuersitatem supremae prin-  
cipis curae subordinatam. Repraesentat personam moralem,  
quae iuribus collegit communibus, vt arcam communem ha-  
bendi, directores et administratores constituendi, sumitus ad  
conseruationem necessarios colligendi, gaudet, iuraque diuersa  
ex contractibus cum aliis celebratis sibi acquirere, e contrario  
ex iisdem obligari potest. Inter illos contractus, M V T V V M,  
quo ecclesia res fungibles aut dat, aut accipit ea lege, vt istae  
in eodem genere restituantur, in primis eminent. Cum ecclesia  
creditrix variis vtatur iuribus singularibus, quae, me praeside,  
in Disputatione, de iuribus ecclesiae creditricis singularibus in mutuo



*vfurario. Vit. Anno MDCCLXXI. sunt exposita, non nulla de iuribus ecclesiae debitricis singularibus in mutuo, tradere, in praesenti constitui.*

In numerum priuilegiorum, quibus munita est ecclesia debitrix, in primis refertur hoc, quod se contra creditorem ex mutuo dato agentem tueri possit exceptione versionis in rem ecclesiae non factae. Quae defensio in iure vtroque satis fundata est. In NOVELLA enim IVSTINIANI CXX. cap. VI. §. 3. de ea ita disponitur: *Ei dē tis οὐ ἐπίσκοπος, οὐ δικονόμος, οὐ διοικητής οἰς δίποτε ἐναγγέλσικου, εἴτε ἐν τῇ βασιλίδι πόλει, εἴτε ἐν ταῖς ἐπαρχίαις κειμένη, χρήματα ἀδικεῖσθαι, οὐ μετὰ ταῦτα δανείστε: κελεύσομεν μηδὲ ἀυτοῖς ταῦτα καταλογιζέσθαι ίπο τῷ ἐναγγέλσικῳ, εἰ μὴ πρότερον δέξεσθαι ὅτι εἰς χρέας τῷ εἰρημένῳ ἐναγγέλσικῳ ταῦτα προσχώσησεν. μήτε ἀυτὸν τὸν δανειστὴν οὐ τὰς κληρονόμους ἀντεῖ τῷ ἐναγγέλσικῳ ἔχειν τινὰ ὑπὲρ ἀυτῶν ἀγωγὴν, εἰ μὴ δέξεσθαι ὡς εἰς αἵτιας τῷ ἐναγγέλσικῳ προσηκνέσσας τὰ χρήματα προσχώσησαν. ἀλλὰ κατὰ τῷ δανεισταμένῃς τὰ χρήματα καὶ τῶν ἀντεῖ κληρονόμων τὰς ιδίας κινῆν ἐναγγωγάς.* Secundum versionem 10. FR. HOMBERGKII ZU VACH: *Si Episcopus aliquis, vel Oeconomus, vel Administrator cuiuslibet venerabilis domus, siue in hac regia urbe, siue in prouinciae sacrae, mutuam pecuniam acceperit, vel postea accepturus sit: iubemus, ne illi sacrae domui eam imputent, nisi prius eam in utilitatem dictae sacrae domus versam esse ostenderint: neque ipse creditor, vel heredes eius contra venerabilem domum eius nomine ullam actionem habeant, nisi in causas ad venerabilem domum pertinentes pecuniam illam versam esse ostenderint: sed actiones suas contra eum, qui mutuam pecuniam accepit,*

accepit, eiusque heredes moueantur. Inde de promta est AVTH. Hoc  
ius porrectum C. de S. S. Eccles. ubi in fine ita sancitum: et si  
creditor hic intelligatur, qui, quod credidit, probat, in utilitatem de-  
sinat domus processisse. Comprobat hanc sententiam et INNO-  
CENTIVS III. in cap. 4. X. de Fideiuss. his verbis: ne quis religiosus  
abique maioris partis Capituli, et Abbatis sui licentia pro aliquo fidei-  
jubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat ultra summam com-  
muni prouidentia constitutam, alioquin non teneantur Conuentus pro  
his aliquatenus respondere. Nisi forte in utilitatem domus ipius man-  
ifeste constiterit redundasse. Eam quoque, in specie proposita,  
suam fecit ALEXANDER III. in cap. 1. XI. de Deposit. rescri-  
bens: cum enim non constet nobis pecuniam tuam, quam ille vir Be-  
tial impia et detestabili surreptione furatus est, in ecclesiae utilitates con-  
uersam, non debemus de iure, nec possumus contra canones eiusdem ec-  
clesiae praecise intentare iussionis instantiam, ut tibi eandem reddant  
personae, non ecclesiae, commendatam. Cum quoque ecclesia iuri-  
bus aliis ciuitatis fruatur, quod LEYSER ad Pand. Spec. XXII.  
med. 2. copiosius edocet: textibus laudatis commode iungi  
possunt placita ICti VLPIANI in L. 27. D. de Reb. cred. verbis:  
*Ciuitas mutui datione obligari potest, si ad utilitatem eius pecuniae ver-  
sae sunt: alioquin ipsis soli, qui contraxerunt, non ciuitas, tenebuntur.*

Quatenus vero creditori ex mutuo dato agenti haec exce-  
ptio ita opponi possit, vt hic versionem in utilitatem ecclesiae  
factam probare, necesse habeat, res est accurata disquisitione  
digna. Qua vero in causa multum sane refert, quis mutuum  
et sub quibus circumstantiis erogauerit. Quodsi creditor con-

tra administratorem aerarii ecclesiae, aut eius patronum, aut  
 parochum, qui proprio, veldetiam ecclesiae nomine, mutuum  
 sumvit, ita agit, ut hie ex suis bonis propriis accepta restituat:  
 quin ille a probatione versionis in utilitatem ecclesiae factae  
 immunitur sit, cum ecclesia hac in specie nihil praeslet, et aet  
 alienum ab his personis solis contractum non sit debitum eccl  
 esiae, licet nomine ecclesiae acceptum, haud dubitandum,  
**CARPZOVI** in Iurispr. For. Part. II. Const. 16. Def. 23. condi  
 tionemque certi ex mutuo contra hos et durante, et finito of  
 ficio, eorumque heredes, non vero aduersus eorum success  
 ores in officio, institui posse, cum **CARPZOVIO** Lib. II. Re  
 spons. 108. n. 14. **PHILIPPI** ad Decis. Sax. El. XVI. Obs. 4.  
 n. 6. et **HOMMELIO** in Rhapsod. Iur. Obs. 385. est statuen  
 dum. Sin vero creditoris mota actio ad id tendit, ut his per  
 sonis mutuum datum ab ecclesia, et ex eius patrimonio resti  
 tuatur: iuris vtriusque interpres in eo, quod conuentae ec  
 clesiae integrum sit, agenti opponere exceptionem, pecuniam  
 numeratam in utilitatem ecclesiae haud collocatam fuisse, con  
 sentiunt, sententiamque suam per sancta ante laudata firmant.  
 Atque hanc exceptionem perpetuo ecclesiae competere, tum,  
 quia nullibi ad certum tempus restricta reperitur, tum, quia  
 exceptiones regulariter sua natura perpetuae sunt, iuris est no  
 tissimi. L. 5. in f. D. de except. dol. mal. et met. **I. H. BOEH  
 MER.** in Iur. Eccles. Prot. Lib. III. Tit. XVI. §. 43. Quae eccl  
 esiae allegatio hac in specie ita est priuilegiata, ut non ecclesiae  
 debitrici, sed creditori iniungatur probatio, datum atque ac  
 ceptum mutuum in ecclesiae commodum omnino impensum  
 fuisse.

7

luisse. Quod in primis elucet ex NOVELLA CXX. cap. VI. §. 3.  
et AVTH. *Hoc ius porrectum C. de SS. Eccles.* Creditor vero  
hoc onus probandi neque propterea declinare potest, quod ec-  
clesia, tempore pecuniae mutuo datae, illa indiguerit, si qui-  
dem Legem fin. D. de Exercitor. actione, vbi dicitur, ad hoc,  
ut actio exercitoria creditorri competit; sufficere, si, cum pe-  
cunia crederetur, nauis in ea causa fuerit, ut refici deberet, ob  
diuersitatem rationis, ad praesentem speciem accommodari  
non posse, accurate obseruat CARPOV. Lib. II. Respons. 107.  
n. 8. seqq. neque ex eo ab hoc onere probandi immunis redi-  
ditur creditor, quod in chirographo super mutuo dato atque  
accepto administrator, aut patronus, aut unus ex clero con-  
fessus fuerit, pecuniam in utilitatem ecclesiae conuersam esse,  
et unus ex iis insimul exceptioni pecuniae in rem ecclesiae non  
collocatae renunciauerit, cum haec confessio atque renuncia-  
tio ecclesiae, tanquam tertio, in cuius praeiudicium est facta,  
nocere nequeat, et sicut confessio de non numerata pecunia in  
chirographo exceptionem non numeratae pecuniae haud ex-  
cludit, arg. AVTH. *Si quis vult cautē C.* qui potior, in pignor-  
ita etiam confessio de versione in rem in chirographo expressa,  
ecclesiae exceptionem non factae versionis non admitt. WERN-  
HER. Part. I. Obs. 142. LEYSER. ad Pand. Spec. CXXXI. med. 9.  
Autumat quidem HOMMELIVS in Rhapsod. Iur. Obs. 190.  
confessionem in chirographo factam, pecuniam ad contribu-  
tionem bellicam commodatam luisse, instar probationis esse.  
Cum vero haec sententia lege aliqua haud nitatur, et fraudi-  
bus ansam dare possit: maiori iure, et hanc confessionem non  
suffice-

sufficere, sed alia adminicula et conjecturas, pecuniam in necessitatem, aut utilitatem ecclesiae collocatam esse, accedere oportere, est existimandum. Quoniam vero probatio versionis in alterius commodum habetur difficultis, quippe quae facti alieni est, atque adeo, cuius causa ignorantiae censetur probabilis: creditori eatenus est subueniendum, ut praevia litis denunciatione et iudicis imploratione, administratores ecclesiastici cogantur, creditori in probanda versione adfistere, libros rationum exhibere et ostendere, quo mutuum peruerterit. Conf. DECIS. SAX. ELECT. XVI. STRYCK. Vsls Mod. Tit. de Reb. cred. §. 18. 10. VLR. DE CRAMER in Obs. Iur. Univers. Part. I. n. 116. Dubio etiam careret, quin et super hac exceptione versionis in utilitatem ecclesiae factae iis, qui ecclesiam repraesentant, iuriurandum deferri possit, quippe qui ex antiquis rationibus et registris suis, in quem usum pecunia sit mutatio accepta, notum habere possint. I. H. BOEHMER. in Inst. Iur. Can. Libr. III. Tit. XV. §. 6. Ceterum, si probatum fuerit, pecuniam mutuo sumtam semel fuisse collocatam in ecclesiae commodum, nihil amplius refert, vtrum utilitas ista etiamnum duret, an vero fuerit momentanea. Sufficit enim, versionem in utilitatem ecclesiae fieri, etiamsi illa euanuerit, et satis est, ab ecclesia ex mutuata pecunia templum, aut aliud ecclesiasticum aedificium exstructum, aut reparatum fuisse, etiamsi illud igne paulo post pereat, si quidem hoc in negotio ad principium, num illud utiliter sit gestum, monente Icto VULPIANO in L. 10. §. 1. D. de Negot. gest. vnice respiciendum, casumque fortuitum superuenientem dominus ferat. Quin et si   
 continetur  
 conflet,

constet, in causam quidem necessariam ac utilem fuisse mutuo  
datam pecuniam, sed priusquam ab ecclesia & administratore in  
destinatam causam verteretur, casu amissam fuisse, ut si furto,  
vel in via a depraedatoribus fuerit oblata: creditori id impu-  
tandum non esse, sed ecclesiam debitricem ad restitutionem pec-  
uniae obligari, cum et hac in re non exitus, sed probabilis  
rei gerendae ratio spectanda sit, ex L. 10. §. 1. et L. 12. §. 2.  
D. de Negot. gest. facile est ad intelligendum.

STRICK. Uſus

Mod. Tit. de Reb. cred. §. 65.

Ab hac credendi ratione valde diuersa est ea, qua frutulum  
est erogatum ab illis, qui sub nomine Inspectorum ecclesiasti-  
corum veniunt, scilicet Superintendente, Ecclesiae Patrono,  
Dominis jurisdictionibus, Pastore et iis, qui ecclesiam repra-  
sentant. Quodsi enim ab his aces alienum coniunctim et ad-  
hibitum, et super acceptum chirographum datum et subseria-  
ptum, nec non, si insuper in securitate crediti pignus in re-  
bus ecclesiasticis auctoritate Consistorii constitutum: nihil est  
certius, quam, ecclesiam simpliciter ad restitutionem rei acce-  
ptae obligari, et creditorem a probatione molesta versionis  
immunem esse.

BERGER. in El. Disc. For. Suppl. Part. I. Tit. V.  
pag. 38. BERLICH. Decis. CCCI. num. 31. Quod et dicen-  
dum, si omnes parochiani nomine ecclesiae simul mutuum  
contraxerint, vel procuratorem ad erogandum pro ecclesia  
mutuum constituerint, isque pecuniam a creditore acceperit.

b

CARP-

CARPZOV. Jurispr. For. Part. II. Const. 6. Def. 18. n. 10. I. H.  
BOEHMER. in Iur. Paroch. Sect. VI. cap. II. §. 34.

Potest tamen euenire, ut et hac in causa ecclesia conuentu  
se tueri velit hac exceptione, pecuniam acceptam in commo-  
dum eius non esse collocatam, atque hoc ex capite restitutio-  
nem in integrum petat. Quis tunc probet? quaestio moueri  
potest. Et hoc in casu, non creditori, sed ecclesiae debitrici,  
quod mutuo data et accepta pecunia in utilitatem ecclesiae haud  
processerit, probationem imponendam esse, statuendum. cap. 3.  
X. de restit. in integr. STRYČ. Dispi. de probanda vers. cred.  
cap. 2. §. 24. G. L. BOEHMER. in Princip. Iur. Can. Lib. III.  
Sect. V. Tit. VIII. §. 714. Qua tamen in re monitum I. H.  
BOEHMERI in Iur. Eccles. Prot. Lib. III. Tit. XVI. §. 36. omni  
attentione dignum iudicandum, ne iudices in concedenda re-  
stitutione in integrum nimis proclives sint, cum facile verum  
haberi possit id, quod asserit WILH. ANTON. A FREUNDEN-  
BERG de Rescript. morat. Conclus. 32. num. 14. cauendum esse  
omnibus a contractu cum ecclesia, tanquam re pestifera et perni-  
ciofissima. Quae adsumptio vero ecclesiae in negotiis incundis  
non potest non vehementer obesse, idque dici, quod ICti circa  
restitutionem minorum monuerunt in L. 24. §. 1. D. de minor.  
et L. 17. §. 1. D. de administr. et pericul. tut. nempe hac ratione  
ecclesiae et minoribus commercium quodammodo interdic.

Pro-

Progedior ad alia iura singularia ecclesiae debitrici legibus concessa, in quorum censum et venit beneficium usurarum leuiorum sive minutarum. Ut enim eo facilius debita ecclesiastica ex redditibus tolli possint, in favorem ecclesiae aete alieno obrutae usurarum quantitatem usque ad quartam centesimae, id est, tria pro centum, restrinxit IVSTINIANVS in NOVELLA CXX. cap. I. §. 2. Cui iungi potest AVTH. Hec ius porrectum C. de SS. Eccles. Ita et secundum RECESS. IMPER. NOVISS. de anno 1654. §. 174. a legitima usurarum quantitate, quae sunt quincunces, excipiuntur debita ecclesiastica, quippe quae usurae per arbitrium iudicis determinentur. Porro quem ad modum Principi ius competit ecclesiae inopi succurrendi per indulsum moratorium, aut creditorem ad particularem solutionem accipiendam adstringendi, ita et Ei potestas haud deneganda, soluendas ab ecclesia usuras, ex iusta causa, moderandi, imo eas remittendi. I. H. BOEHMER. in Iur. Eccles. Prot. Lib. III. Tit. XVI. §. 46 et 48. G. L. BOEHMER. in Princ. Iur. Can. Lib. III. Sect. V. Tit. VIII. §. 715.

Tum et IVSTINIANVS in NOVELLA CXX. cap. 6. §. 2. in fine, ecclesiasticae debitrici ius concessit, creditoribus offerendi res in solutum. Quanquam enim hoc ius, emtore non inuenito, res debitoris acsimilatae creditori ut dentur in solutum, aliis quoque debitoribus in NOVELLA IV. cap. 3. et RECESS. IMPERII NOVISS. de anno 1654. §. 172. nec non ORD. PROC.

SAX. VET. Tit. XXXIX. §. 18. et REC. Tit. XXXIX. §. 19. sit communicatum; STRYCK in Disp. de beneficio dationis in solidum: hoc tamen beneficium ecclesiae datum duo habet singularia et fauorabilia, primo, quod res ecclesiasticae in solutum dandae non permittantur electioni creditoris, quas in solutum accipere malit, ut in aliis debitibus alias iuris est, sed arbitrio ecclesiae debitricis relinquatur, quas res creditoris in solutum dare velit. Deinde quod ecclesia possit res mediocres in solutum offerre, et quidem partim frugiferas, partim steriles possessio-nes ex dispositione laudatae NOVELLAE CXX. cap. 6. §. 2. in fin. cum alii debitores res optimas et praestantissimas creditori offerant. STRYCK ad BRUNNEMAN. Ius Eccles. Lib. II. cap. XV. §. 31. Quae singularia ecclesiae concessa in numerum impiorum referit RECHENBERG. in Disp. de eo, quod in piis causis impium est. Sect. III. §. 9. Sed minus recte, cum salus ecclesiae, et bonum publicum priuatorum actionibus et exactionibus merito sit praeferendum.

Tandem inquirendum, an et ecclesia obaerata ad beneficium competentiae, seu deductionis, vi cuius in solutis debitibus tantum illi ex bonis suis sit relinquendum, quantum pro cultu diuino, conseruandis rebus sacris et ecclesiasticis, ac sustentatione ministrorum necessarium, sit admittenda? ICHI pragmatici in decidenda hac quaestione non conueniunt. Qui negant, in quorum numerum in primis referendus est PERT-

s. d.

SCHIVS

SCHIVS in El. Iur. Can. et Prot. Eccles. Lib. II. Tit. XXXVI.  
 §. 951. his vtuntur argumentis, legem expressam deficere,  
 qua beneficium competentiae ecclesiae vindicetur, singulis  
 parochianis id incumbere, vt ecclesiae subueniant, pro facul-  
 tatis suis, inopi, aut hanc alii ecclesiae vniendam esse, nec  
 ciuitatibus hoc ius singulare esse adjudicatum, teste HORNIO  
 in Disp. de beneficio competentiae ciuitatibus non competen-  
 te, et WERNHERO Part. VII. Obs. 85. Qui vero aiunt, fun-  
 damentum assertionis suae collocant in lege tacita, seu consue-  
 tudine, et dicunt, saepe contingere, vt parochiani variis cala-  
 mitatibus ad inopiam aequi sint redacti, reipublicaeque maxi-  
 me interfit, ne ecclesia alii vniatur, omnibusque bonis spolie-  
 tur et destruatur, nec non, cum clericis vsu fori HOMMEL. in  
 Rhapsod. Iur. Obs. 136. imo in RESCRITO SAX. ELECT.  
 de anno 1782. hoc beneficium sit concessum, nec id ciuitati-  
 bus et vniuersitatibus, variis responsis ac praeiudiciis a BER-  
 GERO in El. Disc. For. Tit. XXXIX. Obs. 7. n. 7. et in Suppl.  
 Part. I. pag. 377. et Part. II. pag. 1195. nec non RIVINO ad  
 Ord. Proc. Sax. Tit. XLI. Enunc. 20. et MENCKENIO in Proc.  
 Iur. Com. et Sax. El. Tit. XXXIX. §. 38. adductis, denegatum;  
 multò magis ipsam ecclesiam ad istud, propter fauorem pietas-  
 tis, quem in iure prae ciuitatibus habet, HORN. in Respons. Iur.  
 Clas. XI. Resp. 92. n. 11. et LEYSER. ad Pand. Spec. LXI. med. 4.  
 admittendam esse, contendunt. Haec aiens assertio in Saxo-  
 nia nostra non modo variis Rescriptis a BERGERO in Elect.

Disc. For. Suppl. Part. I. pag. 380. laudatis comprobatur, sed et renunciatio huius beneficii a ciuitate aut ecclesia facta in Iстis pro inualida declaratur. Quod beneficium ecclesiae aduersus viduam quoque et liberos defuncti pastoris, deseruitum actione persequentes, in Tribunalii Wismariensi indultum fuisse, commemorat ENGBRECHT. in Obs. For. Obs. XXVIII.

Iam vero filum tractationis meae abrumpo, et alia propono. Est enim commendandus ex ingenio, doctrina atque humanitate sua

Vir Praenobilissimus et Ornatussissimus

**F R I D E R I C V S A L B E R T V S S C H M I D T**  
Königsbrücka-Lusatius,

*Rerum fiscalium Procurator, et causarum Patronus Dresdensis.*

de cuius vita, studiisque laudatissime actis ipsum differenterem audire iuuabit.

*Natus sum anno huius seculi LXIII. die XXI. Septembbris in oppido Lusatiae superioris, cui nomen est Königsbrück. Pater erat M. IOANNES ALBERTVS SCHMIDT, Pastoris primarii munere ibi fungens, mater IOANNA SALOME ex gente KOENIGIANA. Virumque parentem mortuum deplo-ro. Bonarum artium fundamenta in urbe patria posui. Postea ad scholam Crucianam, quae Dresdae est, accessi, at, quacum diu confixi, incommoda valetudo moras mihi obiecit in studiorum cursu, et me inuitum quoque et reludantem impulit, atque coegit, ut cum Musis meis, liberiori aura fruens,*

*rufi-*

rusticarer. Domum me contuli. A patre dilectissimo litteris  
 ad academiam spectantibus imbutus, precibus amicorum ce-  
 dere aliudque vitae genus sequi, non potui. Ancipite igitur  
 adhuc valetudine Lipsiam adii, ubi anno c1313 CCLXXXIII.  
 ERNESTO PLATNERO, Rectore Magnifico, sacris academi-  
 cis iniciatus inque numerum discentium relatus sum. In philo-  
 sophia et philologia REIZIO, ERNESTIO, WIELANDIO,  
 PLATNERO, nec non GEHLERO, in historia WIELANDIO,  
 BECKIO, et WENCKIO, in iurisscientia Illustribus Viris,  
 IVNGHANSIO, BIENERO, SCHOTTIO, KINDIO, SEGERO,  
 BAVERO, EINERTO et WINKLERO usus sum praeceptoribus,  
 idque eo felicius mihi contigit, quo magis magisque cor-  
 poris firmitas indies cresceret. Superato examine, quod  
 pro praxi iuridica vocant, anno LXXXVI. per duplica-  
 tum semestre totum iurisprudentiae me dedi, beati SCHOTTII  
 patrocinio et consiliis, quem pio et gratissimo animo celebro,  
 egregie adiutus. Dresdam deinde redii, caussisque in foro  
 orandis et rei iudicariae in pagis administranda operam  
 dedi, munere aduocati caussarum fiscalium anno LXXXIX.  
 et exinde tantis patronorum et fautorum beneficiis ornatus  
 sum, ut, vitam, quam olim cum valetudinis periculo litteris  
 dabam, nunc, firmitate corporis nostra, gratissimi animi sensu  
 urgente, rei publicae impendere, ad officia relaturus sim prae-  
 cipua. Quae, ut eo felicius efficere possim, rogaui Ordinem  
 ICTORUM Wittenbergensium Spectatissimum, ut mihi aditum

ad

❧      ♚      ❧

*ad summos in utroque iure honores concedat. Cui-voto cum  
annueret, permisit mihi, ut propediem inauguralem disser-  
tationem defendam. Atq; non in qua tunc vult amplius resul-  
ta in utroque examine, quod more subiit, ordine nostro doctri-  
nam suam ita comprobauit, vt Iuris Vtriusque Doctoris hono-  
ribus Eum dignissimum iudicaremus. Quibus rite consequen-  
tis ut viam Sibi aperiat, Praefide VIRO ILLVSTRI atque IURIS  
CONSULTISSIMO D. ERNESTO GODOFREDO CHRI-  
STIANO KLVEGELIO, Dig. Vet. Prof. Publ. Ord. Curiae  
Prou. Confist. Eccles. Scabinat. et Facult. Iurid. Vitenb. nec non  
Iudic. Prou. in Marchion. Lusat. infer. Assessore meritissimo,  
Fautore honoratissimo, et Collega amicissimo, dissertationem  
inauguralem: *De Lege Commissoria, speciatim, de Praescriptione actio-  
nis ex ea datae ad L. IV. §. II. D. de Lege commiss. proximo die XIIII.  
April. publice atque solenniter defensurus est.* Ut igitur MA-  
GNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, ILLVSTRISSIMI  
COMITES, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, PATRES ACA-  
DEMIAE CONSCRIPTI, OMNES DIVINAE HVMANAEQVE SA-  
PIENTIAE DOCTORES, GIVESQVE OMNIVM ORDINVM AG-  
DOCTRINARVM HUMANISSIMI, hunc actum solennem sua  
concelebrare velint honorifica praesentia, cum Ordinis mei,  
tum meo nomine, omni, qua decet, obseruantia rogo.*

Datum d. XI. April. A. O. R. MDCCXCV.

VITENBERGAE

LUTTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIT.

**ULB Halle**  
001 558 609

3



TH-DOC



B.I.G.



22

170.  
1795/1

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITENBERGENSI  
R. T.  
DECANVS  
D. CHRISTIANVS GOTTLIEB  
H O M M E L  
DIGEST. INFORT. ET NOV. PROF. PVBL. ORDINAR.  
CVRIAEC PROVINC. ELECT. SCABINAT. ET FACVLT.  
IVRID. VITENB. ASSESSOR  
LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM PLVRIMAM DICIT.

Exponuntur

*Quaedam de iuribus ecclesiae debitricis singularibus in mutuo.*